



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 56. Caraffæ jussu Pontificis capitali sententia damnati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

bona hujus sæculi quæerunt, Deum offendunt, & Blasphemant, quotiescunque petunt a Deo panem quotidianum. Hæc propositio declaratur falsa.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

Denique postremus circa peccata contra legis præcepta liber, in quo hujus Prælati sermones continebantur, pariter fuit condemnatus, atque præfatæ censuræ ineunte anno sequenti ad Regem deferebantur: Facultas autem easdem Synodi Oecumenicæ judicio submittebat.

§. LVI.

Caraffæ jussu Pontificis capitali sententia damnati.

Ante aliquot menses Pius IV. sese iniquitatis, ac licentiosæ vitæ osorem, juratumque hostem esse, luculento demonstrabat argumento, dum Caraffam Cardinalem, ejusque Fratrem ex legum præscripto multari jusserat, eo quod ambo sub Pauli IV. Patru sui Pontificatu potentia, atque auctoritate sua fuissent abusi: cum autem judicii acta, quæ cum summa solertia conficiebantur, ipse Pontifex ad trutinam vocaret, ambo accusati mortis pœna digni censebantur; quapropter Caraffa Cardinalis profano Judici traditus nocte, quæ sextam a septima Martii die sejungit, laqueo suffocatus periit: Dux vero Montorius

Thu. n. 9.
Ciacon. tom. 3. in Pium IV. p. 870.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

ejus frater tertio post Cardinalis supplicium die in ponte arcis Sancti Angeli capite plexus est: utriusque vero corpora in eodem ponte populi conspectui exposita: insuper Alifanus Comes Ducis Sororius, & Leonardus Cardineus capite truncati sunt: obeunte tamen Pio IV. illius successor judicii acta rursus discuti jussit, totamque Caraffarum familiam pristinis honoribus juxta, ac dignitatibus restituit: benignius quoque, quam Caraffas, Pius IV. habuit Cardinalem Alphonsum, qui etiam post Pauli IV. Propatruum sui obitum captus abducebatur, eo quod quædam e Pontificis cubili furrivisse, atque in cædem nobilis fœminæ, quæ Paliani Ducis uxor erat, consensisse accusaretur; eapropter centies mille aureos mulctæ nomine pendere jussus Præfecti dignitate, qua in Camera Apostolica fulgebat, privabatur. Postea Pius IV, ut bellum instigantibus Caraffis Philippo Hispaniæ Regi illatum, minus æquum fuisse ostenderet, hunc Principem esse innocentem declarabat, eumque ab omnibus, quæ Paulus IV. eidem exprobrabat, vindicans Marco Antonio Columnæ Palianum restituit. Ceterum Alphonsum ad Neapolitanum Archiepiscopatum suum secedens, ibidem mentis amaritudine confectus nonnisi expleto vigesimo

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.

mo quinto ætatis suæ anno obiit circa
Annum Domini millesimum quingente-
simum sexagesimum quintum: insuper
Pontifex Scipionem Rebibam Cardina-
lem utpote Caraffarum consiliis con-
scium, necnon Innocentium Montanum,
qui Romana licet purpura donatus li-
centiosæ vitæ deditus erat, in arce San-
cti Angeli includi iussit, quamvis evo-
luto unius anni spatio uterque in liber-
tatem assertus, imo Rebiba etiam
Constantinopolitano Patriarchatu deco-
ratus esset.

§. LVII.

Mercurii Cardinalis obitus.

Præter Cardinalem Caraffam sacrum
Collegium hoc anno trium Purpu-
ratorum jacturam planxit, quos inter
primus erat Joannes Andreas Mercurius
Messinæ in Sicilia obscuro quidem
genere ortus, sed singulari epistolarum
rite conscribendarum peritia clarus, qua-
propter cuidam Notario operam suam
dicabat, postea & Romam profectus
ad Joannem Mariam Montanum tum
Sipontinum Archipræsulem divertit,
a quo etiam non modo conscribendis
literis, sed insuper difficillimis negotiis
præfectus est: cum ergo cuncta munia
ipso demandata singulari dexteritate per-
ficeret, Montani opera Reggionensis De-

Ciacon. in
vitis Pontif.
to. 3. p. 775.
Rochus Pyr-
rhus in notit.
Eccl. Sicul.

R 3

canus,